

De venerandiss. ecclesia
sacrificiis

Ad articulos Caluimianæ
traditionis responsio.





De venerandiss. ecclesie sacrosancti



De 273

[Faint handwritten text on the top cover]

[Handwritten text on a label on the spine]

89 11

89 11 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34 35 36 37 38 39 40 41 42 43 44 45 46 47 48 49 50 51 52 53 54 55 56 57 58 59 60 61 62 63 64 65 66 67 68 69 70 71 72 73 74 75 76 77 78 79 80 81 82 83 84 85 86 87 88 89 90 91 92 93 94 95 96 97 98 99 100

DE VENERANDIS-

De. 278

SIMO ECCLESIAE

SACRIFICIO AD LVDOVICVM

Herquiullerum, Regium

in senatu Parisiensi

Confiliarium,

Per Nicolaum Villagagnonem aduersus
Caluiniani Euangelij sectatores.

Pro loco warmen. ad fr̄s barnav. gr̄a P. P. Jan.

Exempli. Canon. warmen.




PARISIIS,

Apud Andream Wechelum, sub Pegaso, in
vico Bellouaco: Anno Salutis,

1561.



Cum priuilegio Regis.



PRIVILEGII SENTENTIA.

CAütum est autoritate Regia, ne quis alius præter Andream Wechelum, iuratum in alma Parisiensi Academia Librarium, hunc De venerandissimo Ecclesię sacrificio, per Nicolaũ Villagagnonem aduersus Calviniani Euangelij sectatores libellum : ante decennium ab æditione proximum in hoc Francorum regno imprimat, néue alibi impressum vëdat. Ac si Regij diplomatis sententia, operis initio præfigatur, finíue postponatur, vt omnibus clarũ, notum, indictum habeatur. Secüs qui faxit, & libris ipsis, & mille librarum Paris. multâ pœnas pendito. Datum Rhemis, Regio consensu sub-signatũ Do. Villamoro supplicum libellorum magistro præsentē. 3. Id. Iun. 1557.

Coignet.





DE VENERANDIS-
SIMO ECCLESIAE SACRIFI-

CIO AD LVDOVICVM HER-
quiullerum, Regium in senatu
Parisiensi Consiliarium,

*Per Nicolaum Villagagnonem aduersus
Caluiniani Euangelij sectatores.*



*Q*VIA nostra de Christi sacrificio
sententia aduersariis non vide-
tur satisfecisse, quod (ut aiunt)
contra Paulum, unicam Chri-
sti oblationem, repetitione no-
stra quotidiana, despectui habere videamur.

*Non alienum à causa nostra fore significasti,
ut in eam rem aliquid adderemus, ex quo doce-
remus non esse nobis imprauisa, quæ illi contra
nos è Paulo tela eiiciunt: Pauli ergo verba hîc
ascribimus, nostramq; sententiam exponimus,
ut huius ad Paulinam facta collatione co-
gnosci possit, quã nulla ratione, nulloq; iudicio se
illi hostes nostri ad reprehensionem incitauerint.*

A ij

Hebr. 9.
 ἡραρὰ ἐν
 ἁγίοις.
 adueniens.



AT Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per maius & perfectius tabernaculum, non manu factum, nec huius creationis, neque per sanguinem hircorum ac vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta, æterna redemptione inuenta.

Maius ac perfectius tabernaculum, quo Christus est in sancta semel ingressus, corpus ipsius fuisse qui dubitet esse puto neminem: Corpus autem nõ huius creationis esse ideo dicitur, quod sit à Spiritu sancto fabricatum, vi huius verbi, hoc est corpus meum, ut docet Chrysostomus hunc locum explicans.

Hoc demonstrato considerandum est, quid sanctorum nomine Paulus intelligat, ut edoceamur quando per tabernaculum non manufactum, id est, per corpus suum, propriumque per sanguinem, in sancta semel introiuerit.

1. Pet. 3.

Ego sanctorum nomine, non caelos corruptioni obnoxios intelligo, qui (ut ait Petrus) Igni reseruati sunt in diem iudicij? Sed credo Iesum, sanctum esse, qui & cælum ipsum cunctaque

que quæ in cælo terraque sunt, sanctificauit: qui verbum erat in principio, et caro factum est, Filius Dei omnipotentis existens, qui propter nostram sanctificationem, in seipsum, suam sanctificationem, id est, carnem & sanguinem immisit, carnis propria manducatione sanguinisque potu.

Adueniens pontifex futurorum bonorum. παρρησιας
αδους.
Hæc verba superioribus adiecta nostra difficultatis omnem adiment, dubitationem considerantibus, quando dici debeat Christus futurorum bonorum pontifex aduenisse: Joannes, id paucis explicat dicens. Et veni in mundum, & iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem: Ioan. 16. An ergo tum aduenisse non dicetur, quando venit voluntatem Dei Patris, id est, totius salutis nostræ dispensationem factururus? An vero tum solum aduenisse, quum facta redemptione mundum reliquit ad Patrem vadens, ut non etiam pontifex ante passionem à Caluinianis fuisse putetur, sed futurorum bonorum pontifex, post redemptionem perfectam dicendus sit atque pontifex futura tantum gloriæ? Paulus sequenti capite id expressè absoluit dicens, Hebr. 10. Ideo mundum ingrediens dicit, hostiam & oblationem nolui, Psal. 39. tunc dixi, ecce venio. Mundum

ergo ingrediens, non relinquens, futurorum bonorum Pontifex appellabitur: in seque, id est, in sancta ingressus dicetur inuenta redemptione, non perfecta: ut simul quum esset Pontifex futurorum bonorū ingressus fuisse dicatur, tumque inuenisse redemptionem, quando seipsum pro nobis sanctificans Deo Patri obtulit, mox passurus.

Semel ingressus. Hæc dictio semel, aduersarios nostros incitauit, ut ignorantia me suspectum habuerint, dicentem sacrificij propiciatorij oblationem ad peccatorum quotidianorum expiationem adhiberi oportere: His ut respondeam, concedam unicam ac perpetuam oblationem, à Christo semel peractam fuisse, eo tempore, quo semel in sancta est ingressus æterna redemptione inuenta.

Ioan. 3.

Ioan. 6.

Hæc autem dictio (semel) efficit ne sanctorum nomine mihi persuadeam cælum intelligi, unde in terram Christus descendit. Nemo, inquit, potest in cælum ascendere, nisi qui de cælo descēdit Filius hominis. Deinde, Quid si uideritis Filium hominis ascendentem, unde uenit prius? Ascendens ergo, unde uenit prius, non semel ingreditur, sed regressus, bis ingressus esse

esse dicendum est. At in seipsum sanctificatione semel immissa, in sancta semel introiuit,

Aeterna redemptione inuenta. Calvinus dicat quid sit aeternam redemptionem inuenire, & quando inuenta sit: Res qualibet inueniri dicitur ante huius adeptionem. Antequam ergo Christus redemptionem adeptus sit, hanc inuenisse dicendus est.

Ceterum mortem Christi fuisse in nostram redemptionem non inficiatur Calvinus. Expirans ergo Christus, redemptionem exoluit, non inuenit. Quare contendo Christum ante mortem inuenisse redemptionem, tumque id perfecisse, quum se is Patri in sacrificium obtulit, se pro nobis sanctificans, mox Patris voluntatem, id est, redemptionem facturum.

Hoc si Calvinus improbet affirmans Christum, in sancta semel ingressum, postquam redemptionem est adeptus, non quum hanc inuenit: sique fateatur illum redemptionem tum obtinuisse, quum expirauit. Descendens ad inferos anima, vel in sepulchrum corpore, non in caelos ascendens, in sancta semel ingressus est: tumque oblatus est, inferna, non sancta ingrediens, post factam Patris voluntatem: ut contra scri-

pturas post mortem, sese obtulisse dici possit. Si verò inter mortem & ascensionem, neglecto tempore interiecto, Calvinus contēdet Christum in cœlos ascendentem, in sancta semel tunc ingressum, ut vultui Dei pro nobis appareret: ascensione, non morte, hunc redemptionem invenisse aut obtinuisse contestabitur contra scripturam. Ab hac opinione hoc præterea me deducit, quod effusum in remissionem peccatorum sanguinem in sancta non intulerit Christus sacerdos (si cœli sancta sunt) nisi novum affectu gloria intulisse dicatur contra legem, quam necessario impletam oportuit.

Heb. 9.

His adhuc telis Calviniani nos summonere conati sunt. Non enim in manufacta sancta ingressus est Christus, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Audis, inquit, in sanctorum appellationem cœlum venire, quo in cœlo nunc apparet Christus ad Patris sedēs dexterā? Magna verò me afficit Calvinus admiratione, qui quum sibi hoc ingenij acumine præditus esse videatur, huc tamen ruat imprudens, ut affirmet cœlos quos ascendens petiuit Christus, eos esse quorum fuerit interius tabernaculum.

lum exemplar. exponat autem si ita habeat, qua in re cæli ac tabernaculum conueniant. Hoc ubi fecerit, illi assentiar, cælos, quæque in eis sunt, corpore ac sanguine Jesu Christi, (quas meliores hostias vocat Apostolus) mundatos esse. Hac Ibidem. verba sunt Pauli. Neesse est ergo exemplaria quidem cælestium, his (sanguinem brutorum memorabat) mundari. Ipsa autem cælestia melioribus hostiis quàm istis. Cælum ergo (si Caluino doctissimo credimus) cuius exemplar tabernaculum vasæque ministerij fuerint, sanguine Christi, non ecclesiam, aspersum ac redemptum fuisse neesse est: Proque cælo Christum fuisse mortuum, ac patibulū subiuisse: Hoc sanè non sum Caluino daturus.

Dicam ergo potiùs cælum idem esse cum tabernaculo non manufacto, id est, cum Christi corpore: cuius Mosaicum tabernaculū fuerit exemplar. Tūmq̄ in cælum ipsum introiisse Christum, quū potu sanguinis sui, ac corporis manducatione, hic in seipsum, ingressus est: id est, quū in corpus proprium, sanctificationem immisit: quo in corpore, nunc & semper vultui Dei pro nobis apparet. Hanc enim adiungit causam Paulus cur in ipsum cælum in-

gressus semel sit dominus, ut pro nobis appareat. Non autem necessario caelos ascendit, ut vultui Dei pro nobis appareret, qui in terris manens, in hoc utique mundum ingressus, ad nostram salutem apparuerit, Patris voluntatem factururus. Nec etiam credi debet Paulus docuisse effusum in cruce sanguinem, in caelum à Christo post passionem illatum fuisse, quem sanguinem, ante passionem secundum legem in sancta illatum oportuit: nisi de nouo, id est, resumpto et affecto gloria intellexerit, contra exemplar.

Vultui Dei. Doceat Calvinus quo caelo Deus includatur, qui caelos omnes appendat digito, ac palmo mensus sit, super quos & sedet.

Neque ut offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex ingreditur per sanguinem alienum. Nota offerri semetipsum, idem esse Paulo, quod in sancta semel ingredi proprium per sanguinem, quemadmodum in sancta semel ingredi Pontificem per sanguinem alienum, idem est, quod sanguinem offerre, alioqui ineptam esse comparisonem: Christus ergo se offerens, in seipso, per proprium sanguinem ingrediens, hoc non fecit sicut Pontifex, qui per alienum ingrediebatur sanguinem: qui sanguis auferre peccata

cata nõ poterat: sed semel et efficaciter Christus per sanguinẽ propriũ ingressus est, illati per Põtificem sanguinis figuram implendo, antequam extra portã pateretur: sicut Pontifex, in sancta sanguinem alienum inferebat, antequam is in incendium corpora, quorum sanguis in sancta fuerat illatus, extra castra immitteret.

Quia oportuisset illum sæpiùs pati à constitutione mundi. Hoc verum est si corporis oblatio, sanguinisq; in sancta illatio, tam fuisset inefficax, quàm exemplarium & umbrarum: oblationem enim secundum legem mors necessario insequeretur: unde unicam & efficacem oblationem, mors & subsequuta est, & consummauit.

Nos autem nomine Christi, sanguinem eius corpusq; offerimus, non quòd recens denuòque offeramus, ut patiatur: sed oblatum ab eo semel & Apostolis porrectum offerimus: panis enim ad mysterium propositus, non sacrificatur aut mutatur in corpus, quod rursus offeratur moriturum, sed panis in id mutatur, quod fuit oblatum priusquam pateretur: nihil enim inter nostram & Apostolorum eucharistiam discriminis, interiectu tempus intermittit, neque sibi

διηγερέε.

hoc arrogare debet humana infirmitas, ut iterū corpus offerat, quasi oblatio illa unica, cōtinua, semperq; viuens, nunc sit inefficax: Sed absolutam perfectāque insumimus oblationē, quod aduersarij non intelligentes, nobis vertunt crimini, atque imponūt à nobis Christum sacrificari. Quum tamē à se oblatum Patri offeramus, ut moreretur, non ut moriatur: sicq; recens non offerimus, sed oblatum adhibemus, ac in remissionem erroris improbi insumimus: postquam panis in id, vi diuini verbi fuerit immutatus.

Quomodo, inquiūt, intelligis panem tuū, in corpus tāto pōst temporis interuallo oblatū, immutari, aut vinum cœnae domini, in effundendū postridie sanguinem immutatum fuisse? Quomodo, inquam, credetis cineres, aquā, ac aërem in quæ Adami caro dissoluta est, rursus in eam ipsam corporis compactionem redire, ac reformari posse, quæ à Christo plasmata sit? Opus Dei est ut credatis, nam mirabilia opera domini, mirabilis & in altis dominus.

At tuum, inquiunt, hoc commentum est, nulle nos scripture hanc sapientiā docuerunt: Non, inquam, sanè contumaces, ac refractarios docue-

*cuerunt, sed humiles Dei filios: Quid iudicatis
his verbis imperari, Hoc facite corpus quod pro
vobis datur: Hunc (qui meus est) sanguinem
facite, qui pro multis effunditur in remissionem
peccatorum? Huc o Calviniani, non in magistri
vestri somnia, mentis aciem impellite, tempus
quo Dominus Apostolos alloquebatur, inspe-
ctandum præsens allocutio proponit. Non dixit
quum de meo corpore participare, quumque in
mea ingredi sancta volueritis, nouam mei cor-
poris oblationem facite, recens aliud in meo san-
guine testamentum constituite, sanguinem qui
in remissionem peccatorum nec oblatum à me,
nec quem vobis fas offerre sit, conficite. Sed
sanguinem dico, quem post resurrectionem re-
sumptum à me, in cælos intuli, quem nouum
nouæ vitæ affectum gloria, eundem sanè sub-
stantia, bibam vobiscum in regno Patris mei:
Hunc ergo facite ac offerte, quem oblatum à
me effusumque sciueritis, cuius æterna vis, ac
virtus est continua, pro vobis ipsa re interce-
dens. Vt hunc ad vestram sanctificationem ac
expiationem adhibeatis, bibatis, & adoretis,
hunc ipsum ergo qui pro peccatis effusus sit
sanguis, quem in Cæna cum discipulis suis bibit
Dominus, quemq; nouum nobiscum bibit hodie,*

vi verborum ac instituto diuino confici, offer-
 ri, bibique credimus: non ad nouam quampiam
 post resurrectionem corporis, aut sanguinis
 post gloriam effusi oblationem, sed resumpti,
 mentem nostram acclinamus aut affigimus.
 Scimus enim & unicum esse sacrificium, & a-
 gnum immaculatum unum, semel tantum o-
 blatum iri oportuisse, ut multorum peccata tol-
 leret: atque hunc amplius mori non posse, sacrifi-
 cium quoque antequam panis sanctificatur,
 aut postquam sanctificatus sit non perfici, nec
 sanctificari panem, ut post sanctificationem no-
 ua fiat oblatio, sed eo ipso tempore quo sancti-
 ficatur, ut ait Cabasilla 32. cap. sacrificium
 perfectum esse. At vos Calvinistæ futiles, vento
 actæ nubes aridæ, ut nos in odium publicum ad-
 ducatis, pacem publicam vexetis seditionibus,
 exquisita affectataq; inuidia nobis imponitis, à
 nobis quasi à nobis quotidie recetem Christi, di-
 uersamq; oblationem instrui, unica illi æternæ
 diffidentibus, quum nihil minùs à nobis intelli-
 gatur: sed illi penitus inhereamus, hanc adore-
 mus ac obseruemus: credentes in oblatum à se
 Patri corpus quod cum discipulis comedebat
 Dominus, panem nostrum immutari: ut inter
 nostram hanc, eamque quam cum Apostolis
man-

manducauit eucharistiam, nihil intersit discriminis: sed ea ipsa eius nostra hæc sit oblatio, eterna, iugis, ac continua. A nobis verò offerri prædicatur, non quòd ad miraculum perficiendum aliud, quàm ministri nomen nobis arrogemus, ab ea enim arrogantia conditionis nostræ cognitio nos deducit, sed palàm profitemur nostrū hoc, diuinū esse opus: et quia diuina institutione in si perfectā semel oblationem, panis nostri trāssubstantatione, sistimus, atq; in Christi locū ad eam rē succedimus ingrediētes in sancta, offerre dicimur: Offerimus enim, quū quod pro nobis oblatum est, verbo à nobis pronūciato cōficimus, præsensq; sistimus & adhibemus.

Qui scriptores ecclesiasticos post Petrum ac Paulū, nullo animi morbo impeditus cōsulet, omnes in hæc quā exposuimus sententiā cōuenisse reperiet, Græcos præcipuè, quorū vsus est, ut panis sanctificationē his adordiātur verbis. Hoc facite: quod Cyprianus sanctiq; Latini penè omnes imitati sunt. Si in meis verbis offenderitis, quibus de potu sanguinis nomi, in Patris regno, Dominū se fuisse pollicitum intelligo, vósque quia is non sanguinis, sed vitis geniminis meminit, vino potatos fuisse Apostolos contenderitis, exponite, cur de hoc, non de alio genimine

dixerit: qui fieri potuisset ut de eodem ipso vino, post resurrectionem cum discipulis biberet, nisi transsubstantiationis opinione ad eam sententiam asserendam nitamini, ut doceatis vinum post resurrectionem, ab eo cum Apostolis potatum, in illud ipsum, quod in cœna biberat transsubstantiatum esse? Sed si ita habeat, quare novum illud esse dixit futurum? Non bibam, inquit, posthac de hoc vitis genimine, donec bibam illud novum in regno Patris mei: non quidem novum vinum, si illud ipsum biberit, sed idem fuit: novum autem dixit merito sanguinem, quia resumptus ab eo, affectusque gloria, novæ ac æternæ vitæ sanguis est. Præterea etiam si vinum fuisset transsubstantiatum, quævis unico è poculo bibissent, haustus cuique erat proprius, parsque totius, non idem, nam quod bibisset Petrus, non bibisset Ioannes: sanguinis vero alia est ratio, quod enim bibebat Christus, hoc ipsum omnes bibebant.

Si autem resumptum bibi sanguinem negaveritis, an ex angue corpus ad Patris sedere dexteram arbitrabimini, an autem dicetis novum ab eo creatum, alius cuiusdam generis sanguinem fuisse, ut quem dedit illi Pater, contra
ver-

verbum Domini, perdiderit. Hoc si putaueritis, quid de nostra resurrectione sperare vos docebitis: an proprio hoc corpore, proprioque sanguine, an alieno, aut ex angui resurgemus, ut quod seminauerimus hoc aliud metat corpus? si hoc à vobis resumptum iri fateamini, cur novum, id est, affectum gloria bibi à nobis resumptum sanguinem negabitis, eum ipsum dico quem cum Apostolis in cæna, postque resurrectionem bibit ille, vino nostro in eum mutato. At vobiscum (inquitis) non bibit in Patris regno. Bibere verò equidem affirmo, regnumque Patris ecclesiam esse contendo, quæ veris, sed mysticè est Christi corpus: quo in corpore nobiscum novum aeternæ vitæ sanguinem bibit ille, cuius corporis mädicatione, sanguinisq; potu unum effecti sumus corpus. Si ergo unum corpus effecti bibimus, si is in nobis est, nosque in eo sumus, si nobiscum est usque ad consummationem seculi, quare nobiscum non bibere dicetur, qui & caput nostrum est, atque ita bibere uti caput est, id est, mysticè. Ne me existimes tam nullius iudicij Calvine, ut putem quoties sacrificij convivium celebramus, Christum se toties cælis demittere, ut occultò nobiscum bibat, aut ut repetitis actionibus in seipsum (bibens ac mandu-

cans) ingrediatur, quem semel ingressum prædicat Apostolus: Qui enim semel oblatus est, is & semel bibisse credendus est. Sed quia vi verbi, illius instituto, à suis legatis pronunciati, panis & vinum in id transsubstantiantur, quod ante passionem semel cum suis bibit & manducavit, ut nostra eucharistia ea ipsa eadem sit, quam cum Apostolis manducabat & bibebat, quum hanc insumimus, is quoque nobiscum nõ minus bibere & manducare dicendus est, quam cum suis Apostolis fecerit, quamvis enim hæc non eadem sit temporis presentia, non aliam tamen differentiam, interiectum inter illam nostramque eucharistiam tēpus intermittit, quam interponet inter corpus quo nunc vivimus, & illud ipsum, quo (in virtute eucharistie manducate) suo tempore exuscitabimur: novum enim sanguinem, sed eundem bibimus, novum item sed idem resurget corpus.

Qui volet certissimum nostri sacrificij legere testimonium, adeat Cabasillã 32. cap. Missam Basilij, ac Chrysostomi interpretantem, & comperiet panem nostrum verè mutari, non in figuram sacrificij, sed effici rem mutationis, quo loco respondet his quæ Calvinus

nus

nus aduersus ecclesie religionem opponit.

Nunc autem semel in consummationem seculorum ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit. *Apparuit mox passurus: Hunc ergo qui ad peccati destitutionem siue profligationem apparuit, ut dictum est, offerimus, non qui rursus appareat, quasi oblationis eius merito diffisi, ad nouam spectemus oblationem: Apparuit ipse & mundum ingrediens, apparuit & post oblationem mundum morte redimens, apparet nunc & perpetuo intercedens pro nobis.*

Hebr. 9.

Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium, ita & Christus semel oblatus, ut multorum peccata tolleret, rursus absque peccato conspicietur his qui illum expectant.

Hominibus. *In hanc necessitatem non fuit Christus conclusus, qui peccatum non fecerat, qui que iudicium factururus est.*

Oblatus ad multorum exhaurienda peccata: *Is non aliter à nobis offertur quotidie, quam tunc oblatus sit ut peccata tolleret, non enim recenter, aut aliquando post mortem, in id*

Rom. 4.
Pfal. 53.

oblatus est ut auferret peccata, nec nunc ut iam ablata attritâque auferat, offertur: sed ut oblationis illius continuæ virtute, nunc auferat instantia. Nota Jesum à Paulo dictum esse oblatum, ut peccata tolleret, non mortuū. Nam traditus propter delicta, attritusque propter scelera nostra dicitur, quòd à mortis maledicto eos redimeret sub peccato venundatos, quorum sanguinis potu ad ostium tabernaculi, peccata deterferat. Cuius quidem oblationis ac ablutionis, mors fuit consummatio, sicuti hostia pro peccato, incendium in lege fuerit. Nam ut diximus oblationem lege mors necessario consequebatur. Tam ergo semel fuit, & nunc est oblatus, quàm mortuus: oblatus quidem fuit ad ostium tabernaculi cum precibus, secundum legem testamenti, propter nostram sanguinis potu sanctificationem: passus verò extra portam, ut passione, pœnis peccatorum persolutis, qui vocati sunt, promissionem accipiant aeternæ hereditatis. Nam post peccati remissionem opus fuit & satisfactione.

Heb. 10.

Quapropter mundum ingrediens dicit, sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocausta, & pro peccato

cato non postulasti, nec comprobasti quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi, ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam, volui. Tollit prius, vt secundum statuat, mundum ingrediens. *Ille tum se Patri obtulit huius voluntatem factururus: sed is non ille fuit solennis actus oblationis, quo morti se destinavit sancta ingrediens.*

Sacrificium, & oblationem, & holocausta, pro peccato, noluit. *Non frustra in tot species sacrificia distinguit, sed eo factum est, vt omnia quæ secundum legem erant sacrificia, speciatim Christus in cæna, id est, nouo testamento, impleuisse intelligatur, vt puta sacrificium pro peccato, laudis ac salutis, eaque quæ ad priuatos pertinebant, exinde moriens holocausti vicem subiturus.*

Tollit primum, vt secundum statuat. *Primum testamentum sustulit, an scilicet, vt secundum sine oblatione ac sacrificio statueret, quamuis testamenti potissima pars sit sacrificium? At quomodo secundum statuit, si huic sacrificij usum detraxerit?*

Per quam voluntatem sanctificati sumus,

Qui per oblationē corporis eius semel, hac phra-
sis Græca est: qui, autem hoc loco appositum,
tantum indicat, ac si dictum foret, qui per obla-
tionem semel peractam sanctificamur.

Hæc ergo verba apertissimè docent, non per
solam Dei volūtatē nos esse sanctificatos, sed
per oblationem illam unicam, qua duce Deum
adimus Patrem: ex quo, hanc oblationem nobis
esse necessariam, ad nostram quotidianā sancti-
ficationem iudicavi: id est, ad nostram conscien-
tiarum emūdationem, ad serviendum Deo vi-
uenti: non ad redemptionem quam semel perso-
lutam oportuit. Uti superius ostendit Paulus,
quamobrem in Calvinianā doctrinā, maxima
incessi admiratione, hunc intelligens tāta animi
offensione, æterna oblationis semperque viuentis
usu, nobis interdicare: quod cogitauerit per vo-
lūtatē Dei, absque æterna oblationis usu quo-
tidiano (sed sola fide interposita) à quotidianis
sordibus nos elutos esse, quē in errorem iniectus
esse videtur ab his Apostoli verbis.

Et omnis quidem sacerdos præsto est,
quotidie ministrans, & easdem offerens ho-
stias, quæ non possunt auferre peccata, hic
autem quū vnam pro peccatis hostiam ob-
tulit

tulit, in sempiternum sedet, donec ponantur inimici scabellum pedum eius. Vna enim oblatione consummauit, siue perfectos effecit eos qui sanctificantur.

Calvinus putat culpa non vacare nos, qui in recentium peccatorum ablutionem, continuam perpetuamque Christi oblationem semel peractam adhibeamus: quasi iudicemus veterum exemplo, anteactis oblationibus nobis nihil profectum esse: at ille nostram actionem mentemque parum videtur perspectam, & cognitam habuisse: Veteres enim quia offerebant hostias, quæ peccata eluere non poterant, pro eisdem culpis genere easdem hostias semper offerebant: Nos autem quia viva, æterna, ac efficax, nostra est hostia, valens ad delendas iniquitates, hac utimur: non, ut dictum est, ad præteritarum iniquitatum emundationem (quemadmodum frustra Pontifex offerebat in lege): Nam ubi est remissio, iam non est oblatio pro peccato: sed aduersus recens admissa, ideoque nondum abluta, continuam oblationem insumimus: Quumque sine sanguine fieri non possit remissio, & cum in voluntate Dei non possimus, nisi per unicam illam oblationem, sanctificari: paratum oblationis æternæ

remedium amplectimur, unamque ipsam à Christo in nostrum beneficium oblatam hostiã, non denuo (quasi inutilem) offerendam offerimus. Hoc ergo à veteribus nostra distat oblatio, quòd illi nunquam prius oblatas, sed novas, réque alias, quamvis easdem genere offerebant hostias. Nos verò re & genere eandem ipsam, qua à Christo oblata fuerit continuam ac efficacem, pane in eam mutato, offerimus, illius impulsu præcepto, Hoc facite. Quia eorum quorù non est remissio, esse debet oblatio pro peccato. Vt inferiùs suo loco demonstrabitur, hæc autem approbat Paulus verbis sequentibus.

In sempiternum sedet in dextera Dei de cætero expectans donec ponantur inimici scabellum pedum eius: vna enim oblatione consummauit in æternum eos qui sanctificantur. Hæc sententia maximo mihi est ad peccatorum remissionem solatio: expectat, inquit, æternum sedens, quia ergo æternum sedet expectans, æternum offerri debet oblatum ei us corpus, ut ponantur inimici scabellũ pedũ eius. Inimici autem sunt mors & peccatum, in mũdo viuentia, donec inimica mors vltima destruat: uti alibi dictum est. Nouissimè autem ini-


mica

mica destruetur mors: quibus verbis ostenditur in voluntate Dei à Christo facta, peccatum non prorsus interemptum fuisse: itaque cum ad profligandam iniquitatem, oblationis illius æternæ remedium certissimum sit propositum, qui peccati conscientiam habuerit, quare ad eam opem certam, ac patentem non profugiet?

Subiungit quasi superioris sententiæ rationem redditurus.

Vna enim oblatione perfectos effecit eos, qui sanctificantur, donec ponantur, inquit, mors, & peccatum inimici eius scabellum pedum eius, quia vna oblatione perfecit eos qui sanctificantur. *Nota præsens sanctificandi tempus indicari: Caterum ab antiquorũ exemplo, ad præsentem illam nostram sanctificationem instruimur: illi nulla fide, nulla pœnitentiâ, nullaq; alia ratione, carnis suæ sanctificationem promerebatur, quam cum ad expressam peccati sui confessionem, animiq; dolorem, oblati sanguinis aspersione adhiberent, & adiungerent. Quo exemplo noui testamenti fideles pœnitentes, ad Christi corporis veram ac corpoream participationem, spe certa inuitantur. Quod si nulla nunc nobis est sanguinis confectio: nulla*


D



oblatio, quo modo qui vnica illa oblatione vocati & consummati sunt, se quotidie corporis participatione sanctificabunt? quo modo ad peccati sui expiationem, qui hanc vitam exigunt, in sancta introibunt?

Hæc si sententia Caluino fastidium parit, dicat cur veterum exemplo, Paulus doceat, moneatq; de nostra quotidiana sanctificatione. Fide, inquit, in merito passionis sanctificamur: non quod oblationis usus in hanc rem nobis alicui sit utilitati. Hoc dolo multos illectos suis inuoluit retibus: sed ne ex eo essem numero, me cause maxima remorata sunt, quarum hæc non negligendum locum obtinet, quod (ut diximus) Paulus de inquinatum sanctificatione differens, fidei non meminit: sed sanguinis aspersione, quamuis planum sit, sine fide aspersione illis profuturam non fuisse: Hæc huius sunt verba: Si sanguis hircorum ac vitulorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad feruendum Deo viuenti. Considera non fidei, sed aspersioni presenti sanctificationem tribui:

Hebr. 9.



bui: Paulus verò qui nostram conscientiarum emundationem legali cum sanctificatione contulit: ineptè id fecisse videretur, si sola fide nos emundari existimasset, aliis ad necessariam sanguinis asperisionem adactis: ut ergo similitudini relinquatur locus, omnia conuenire ac congruere necesse est, quæ secundum exemplum propositum, rem de qua agitur aperiant.

Ad hanc rationem accedit Pauli sententia dicentis: Sine sanguine remissionē non fieri. E qua iudico non minùs nostras iniquitates deleri sanguine ac corporis diuini participatione debere: quàm eorum, de quibus supra demonstrauimus. Nec est quòd Calvinus passionis merito nos oppugnet dicens: In merito redemptionis à Christo præstitæ, nos fide iustificari ac detergi. Nā fides in futura passionis merito non minus apud Deum ad iustificationem valebat veteribus, quàm nunc in præterita passionis merito, nobis valeat: in rebus enim paribus nullum debet discrimen interponi.

Verba subsequentiā sententiæ nostræ adiuuāt. Testificatur autem nobis, & ipse Spiritus sanctus: postquam enim dixit. Hoc est testamentum quod testabor ad illos. Post dies

Heb. 10.

Hierem. 31.

illos datas leges meas in cordibus eorum, in mentibus eorum inscribam illas, & iniquitatum eorum non recordabor amplius: Vbi autem horum remissio, iam non est oblatio pro peccato.

Paulus nos attrahit ad earum considerationem iniquitatum, quarum nō amplius recorde- tur Dominus. Quæro ergo ex Caluino, num præteritas intelligat, an & futuras, ut omni licentia, nullo metu, peccatis indulgere piis Caluinianis, ac monialium corruptioni operam dare liceat, quod & futuras iniquitates filij post mortem Deus Pater, obliuione sempiterna deleuerit? At oblitus eas non esse contendo, quæ nunquam antè commissæ fuerint, atque iudico ad has quæ in obliuione fuerint, quarum remissio facta sit, oblationem nostram non pertinere. Nam ubi est remissio, iam non est oblatio pro peccato: Hoc maximè tormento Caluinus in religionem nostram irrumpit, sperans eâ deiici posse, quæ tamen sententia, fidei ac spei nostre certissimo est presidio, si hanc excutiamus. Vbi est remissio, iam non est oblatio pro peccato. Ergo Caluine ubi non est remissio, oblatio est pro peccato necessaria. Hoc enim à sensu

sensu contrario per tuam logices regulam elici posse arbitror. Quum ita habeat, concludo, aduersus ea, quorum non est remissio, relictam nobis esse continuam Christi oblationem, qua ubi à nobis insumpta fuerit, sempiternam obliuionis nubem peccatis nostris obiectura sit. Non sum ergo tam nullius iudicij, aut rerum imperitus, ut credam, aut putem iam donatas ac remissas iniquitates, oblatione Christi à nobis adhibita, prosequi oportere: sed sordes continuas hac egere diligentia. Ergo, inquiunt, pro defunctis, quos purgari credis, oblatio tua superflua est: Hanc autem scio non ad culpæ remissionem, qua remissa sit, sed etiam, ut ait Tertullianus, ad refrigeriū pœnæq; lenitudinē prodesse.

Calvinus magno ac exquisito conuitij genere in pontificem nostrum insultat, hunc fingens, futurarum iniquitatum licentiā, promissa precio remissione nobis largiri: Vnde in spem me conicit fore, ut equi boniq; consulat, si dixerim, actu eas solas noxias remissas fuisse Christi passione, qua sub priore fuerant testamento commissæ, secundū Paulum, eas verò que in futurum committerentur post baptismum, virtute oblationis continuæ, (si hæc pro eis insumeretur)

expiatum iri: Hoc si impetrauero, ostendam illum non habere rationem, quum nostra salutis hostiam, suis conuitiis insectatur.

Quòd si nullam haberent peccati conscientiam, cultores semel mundati, ut pro peccatorum remissione oblatio eis nulli esset vsui: quia tamen salutis, ac laudis legalia sacrificia, in hoc nostrum unà cū sacerdotio translata ac reiecta desuerunt, affirmo vel hoc nomine, oblationem Christi adhiberi oportere ac insumi.

Heb. 10.

Habentes igitur libertatem in introitum sanctorum in sanguine Iesu, quam initiauit nobis viam nouam, ac viuentem per velamen, id est, per carnem, & sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.

Hæc conclusio, eorum epilogi loco sumi potest, quæ Paulus superioribus verbis docere voluerit: habentes libertatem in introitum sanctorum in sanguine, id est, opera, meritoque sanguinis effusi, habentes libertatem in sanctorum introi-

troitum, id est, in corporis diuini participationē, ea via qua nobis est noua initiata per uelamētum, id est, carnem. Caro enim à nobis manducata copiam sanguinis eius suppeditat, sub uelamento ad uitam scaturiētis, qua nobis ad uitā via est: noua quidem, quia sanguinis, humanaeque carnis esus lege patribus esset uetitus, nobis autē permissus: uiuens uerò, quia Christus amplius non moritur, sed aeternum uiuit.

Hoc si Calvinianos offenderit, exponant quid Paulum docuisse credant dicentem, In sanguine per carnem Christi iniciatam esse nobis à Christo uia nouam, ac uiuentē. Quantum ad me attinet adduci nunquam poterò, ut assentiar ullam à Christo nobis uiam esse propositam aliam, nouā à corporis manducatione sanguinisque potu. Quod si fidem qua passionis meritum Doctor Calvinus amplectitur, uia esse dixerimus: & Christum uiam esse, & nouā esse negabimus: Fide enim duce in spe ac merito futurae passionis, Patribus ad Deum Patrem & ad Filium patuit aditus.

Accedamus ergo cum uero corde in plenitudine fidei, ad sanctorum ingressum per

viam nobis initiatam. *Id est, accedamus ad corporis diuini participationem per sanguinem sub carnis velamento potatū, quæ via est nobis recens initiata. Aspersi corda à conscientia mala. Nā qui indignè eucharistiam manducat, id est, mala ex conscientia, iudicium sibi manducat & bibit. Et abluti corpus aqua munda. Non enim cuiquam de corpore Domini manducare fas est, qui non sit baptismo regeneratus, ac lauatus. Teneamúsque spei nostræ confessionem indeclinabilem. Id est, non declinemus à constanti perpetuâque ecclesiæ religione, ad inanes Caluiniiani euangelij traditiones, quibus se Christum ostendere pollicetur, cui tamen tenebras obducit.*

Hac Pauli exhortatione, vix effugiet Caluinus, quin fateatur, sanctorum nomine corporis participationem, non cælū æthereum, aut quod supra est intelligi. Homines enim cordatos, non animas corpore exutas ad sanctorum introitū vocat Paulus. Aspersi, inquit, corda à conscientia mala, spei nostræ teneamus confessionem indeclinabilem. Anima beata excordes post excessum suum ex hac vita, quod habeāt, sperare desuerunt. Nam authore Paulo futura spe-
rantur,

rantur, spes, inquit, quæ videtur, non est spes. Sed nec à spei confessione declinare possunt beata, quæ Caluino authore, tertium locum negante, rectà hinc in cælum inuolant. Nec adhuc infælices animas spei confessio indeclinabilis respicit, his enim spem omnem præcidit Abrahami ad diuitem responsio. Quare quum nec ad beatas, Luc. 16. nec ad infælices animas vita functas, ad sanctorum introitum Pauli vocatio pertineat, necesse est ad fideles huius vite vsura fruantes, illius exhortationem spectare, sanctorumque introitum non alienum esse à corporis Domini participatione.

His ostensis rebus concludo, & sacrificium esse nobis ad salutem necessarium, & transsubstantiationis religionem non minus ab antiquis excultam fuisse, quàm oblationis religio fuerit exculta: Vtrunque enim vnum opus esse ac mysterium demonstratum est. Præterea nullam corporis Christi in cæna fieri posse communionem, quin ante cænam sacrificium peractum sit. Nam cæna nihil aliud est quàm de agno immolato conuiuium. Denique errare quibus Missæ priuata consideratio venerit in mentem, neque abesse ab hæresis suspitione, qui suum a-

Cypr. epist.
3. lib. 2.

nimum hac opinione contaminauerint. *Missæ enim sacrificiū est non cōmunionis actio: quāuis Missæ annexa sit ex Dei præcepto communio: Sacrificium verò passio Christi est, quod offerimus. Passionem autem nulla ratione priuatum dici posse sacrificium palam est: quamuis pro priuatis & peccatis & personis adhibeatur. Tandem quum, ut supra demonstrauimus, panis noster in eā mutetur substātiā, quā obtulit & sacrificauit Dominus: quūq; id ipsum comedamus quod ipse cū Apostolis comedit, ut inter nostrū illiusq; sacrificiū, inter nostrū illiusq; cibum, discrimen nullū intercedat: Hoc nostrū sacrificium priuatum dici non posse, quin Christi quoque sacrificium hoc nominis sustineat: Sed nec vitari sacrificium conuiuiarum raritate manifestum est: non enim à conuiuis, sed à Christo virtutem sacrificium suscipit. Agnusq; sacrificatus non minùs integer ab uno sacrificulo, quam à mille conuiuis absumitur. Hoc demonstrato, si pro uiuis & mortuis, pro absentibus ac presentibus, ualuit à Christo peractum sacrificium: quia æternum est ac continuum, non potest virtus eius spatio tēporis antiquari, aut exolescere: quare hodie quoque pro uiuis & mortuis, pro presentibus ac absentibus,*

bus, pro priuato & publico hoc ipsum adbiberi oportere secundum ecclesie sententiam, meum iudicium est. Sed nulla ratione in hanc contentionem descendimus: non enim equum est in quaestionem trahi nos de his rebus, quibus perpetua & continens fuerit nobis possessio: ut apud nostrae religionis apostatas, causam dicamus, à nobis huiusce religionis rationem exposcentes, sed potius ab eis extorquendum est, ut suarum opinionum summa capita proponant, ut decernat ecclesia quantum à catholica religione abhorreant: Hoc si fecerint, atque adhibita diligentia, producta capita fuerint excussa ac obseruata, inueniemus omnium hereticorum, quos hactenus nobis Satan exuscitauerit, ineptissimos esse Calvinenses ac ignorantissimos: hosque huc adigemus, ut blasphemiarum incredibilium stimulis se induant sua sophismata tueri conantes. Hoc facile comperient, qui librum, quem his de rebus lingua Franca excudendum curamus, perlegerint.

Sed cauendū est ne in disquisitorū ac iudicū numerum lupi sub ouina pelle intromittantur: non enim rectum foret eorū iudicium, qui litem suam facerent: Arceri etiā ab eo numero censeo oportere, qui incerti sunt animi. i. ea de re que in

Apoç. 3.

controuersiam uocatur, dubitauerint, quos ut tepidos ex animo suo euomuit Dominus: Nam ea de re quis certo statuere nõ potest, de qua dubitauerit, sed qui se ab hæresis suspitione integros castosq; seruauerint, quos rectam fidem sequi perspectum est, his deferri de rebus controuersis iudicium oportere puto: atque omnis uitanda suspitionis causa faciendum suadeo, ut quotquot in concilium admittentur: primum fidei suæ testimonium publicum edant, ac profiteantur nullam se priuatam Missam, sed omnes esse publicas agnoscere, quocumque loco & à quibuscumque ordinatis, secundum ecclesiæ catholicæ constitutiones sacerdotibus offeratur. Nã sacrificiũ ecclesiæ quotidianũ, esse corpus Domini certũ est, quod in recentium peccatorum expiationem adhiberi oporteat, panemq; & uinum uerè mutari, id est, transsubstantiari, secundum uerbum Domini, Hoc est corpus meum, non in figuram, sed in rem mactationis. Hoc qui facere tergiversatus sit, à calidorum, id est, fidelium consortio, in tepidorum aut frigidorum classem relegetur, dubitationis aut abiurationis apud calidos causam dicturus, ne duabus sellis sedeant, iudicium de summis rebus laturi.

ubi

Vbi ex angustiis privati sacrificij falso nuncupati euasisse me considerem, aliis difficultatibus exceptus, orationem extrahere coactus sum: mihi Canon noster obiectus est, quo scribitur Communicantes & memoriam passionis venerantes, demum alio loco: Vnde & memores Domine nos serui tui offerimus maiestati tue: Attamen, inquiunt, quamuis vnus non possit esse communio, vnus tamen pro aliis & offerre & communicare à te affirmatur: Hoc tormentum ex officina nostra contortum validissimum esse videbatur: sed eorum que supra docuimus, non meminerat, qui hac animum suum difficultate conturbabat. Diximus nulum esse privatam sacrificium, omniaque, que ubique conficiuntur, siue pacificorum hostia sit, siue pro populo, siue pro principe ac sacerdote, siue pro plebe, siue pro privato fiat, vnum esse Iesu Christi sacrificium, illud ipsum dico, quod cum Apostolis sacrificabat ac comedebat Dominus, ut quod à singulari Christi legato perficitur, etiam si in hominis privati utilitatem perficiatur, publicum esse non desinat: Hoc enim fit in communione sanctorum, & cum iis ipsis Apostolis, ut hodie, nihil aliud facere sacrificulus videatur, quam publicum illud Iesu Christi sacrificium sistere, unde vnus in ecclesia communicans,

ac offerens plurali numero communicantes & offerimus merito pronuntiare possit. Præterea, certum est omne Christiani meritum, preces, bonūq; opus, etsi horum priuata utilitas ab ipso capitur, tamen propter sanctorū communionem non ita priuata vocari, quin & publica etiam dici possint, ne sanctorum cōmunio dissolui videatur: quapropter in sanctorum communionem communicantes dicitur vel ab uno sacrificulo. Nota quum sacerdos solus, communicantes & offerimus dixerit, Christi exemplum ac præceptum habere, qui nos ita orare docuerit singulos vel in tectis nostris: Panem nostrum quotidianum da nobis, debita nostra dimitte, ne nos inducas in tentationem, libera nos à malo: quia vnius corporis membra sumus omnes, in eiusdē corporis vsum vnum.

In fine.

Quamuis hæc à me demonstrantur, non tamen inficiari volo, eo tempore Canonem factū esse, quo ad cœnam vocati, plures q̄ hodie accederent: Iustinus martyr Apologia secunda exponit die solis (qui à nobis dies Dominicus dicitur) omnes Christianos ex oppidis agrisque ad communionem conuenire solitos: & peracto sacro, eos omnes de corpore & sanguine participare.

cipare. Sed impietate contemptuque religionis, ecclesiam inuadente, neglectam fuisse communionem: Verba Iustini subscripsimus.

Die, qui solis dicitur, omnes qui in oppidis & agris morantur, vnum in locum conueniunt, commentariâque Apostolorum, vel Prophetarum scripta leguntur, quandiu hora patitur: deinde vbi is qui legit, destitit, is qui præest admonet & hortatur, vt ea quæ lecta sunt bona imitemur: tum surgimus omnes, ac comprecamur, conclusisque nostris precibus, panis iam (vt dixi) vinumque; & aqua offeruntur, tumque is qui primum locum tenet, eodem modo preces gratiarumque actionem, pro virili mittit: populûsque benedicit dicens, amen: & iis quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, vnusquisque participat, eademque ad eos qui absint diaconis dantur perferenda. Tum ecclesia vsus erat, vt septimo quoque die, publicum de agno immolato fieret conuiuium.

Sed è Luca discamus, an cœna propterea nõ fieri debeat, sitque nobis sacrificio supersedendum, quòd inuitati ad conuiuium venire nolint, anque conuiuarum infrequentia ac pi-

gritia conuiuio iniuriam inferat, dignitatēque detrahat. Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos, & misit seruum suum hora cœnæ, dicere inuitatis, vt venirent: quia iam parata sunt omnia: & cæperunt simul omnes excusare, primus dixit ei, emi villam & necesse habeo exire & videre eam. &c. Deinde & reuersus seruus nuntiauit hæc Domino suo: Tunc iratus Paterfamilias dixit seruo suo: exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles & cæcos & claudos introduc huc: & ait seruus, Domine, factum est vt imperasti, & adhuc locus est: & ait Dominus seruo, exi in vias & sepes, & cõpelle intrare, vt impleatur domus mea: dico autem vobis quòd nemo virorum illorum qui vocati sunt gustabunt cœnam meam.

Non propterea à cœna supersedit Paterfamilias, quòd inuitati se excusarint: sed recusantes cõegit intrare, ac rebelles maledictione multauit: dico, inquit, quòd nemo illorũ gustabit cœnã meam: nec propter hominũ pigritiam, ac frigus, abroganda sunt sacrificia & cœna: nam ab unico integrum conuiuium & sacrificium
come-

comedi potest. Neque etiã cœna ab inuitatis, sed ab inuitãte autoritatẽ capit, nec, ut diximus, hominum socordia cœnae debet esse præiudicio: sed compellendi sunt negligentes: aliis Dei maledictione pronunciata deterritis: Sed hæc de sacrificio cœnãque pro publico dicta sint.

Certum est omnia legis sacrificia, translato sacerdotio, in hoc nostrũ Iesu Christi sacrificiũ translata fuisse. Illorũ quedã fiebant pro populo, quedam pro plebe, quedam pro priuato: item quedam pro peccato, quedam laudis erant, quedam salutis & gratiarum actionis. Accedebat & holocaustum in Dei gloriam.

Leui. à x. vñ.
q. ad 8. cap.

Eorum que pro peccato quedã manducabantur à sacerdotibus: alia, quorum sanguis illatus erat in sancta per Pontificẽ, corpora cremabantur extra castra: que omnia in unicum Iesu Christi sacrificium desuerunt & consummata sunt. Pro priuato cuiusquam peccato, aries offerebatur: quum in cœremonias peccatum erat: si prius lisset peccator pro dãno dato, precium, quinta parte super iustam æstimationem addita. Hæc etiam species expiationis ad eos transit, qui per ignorantiam, vel volentes ac scientes in proximum peccauerant.

Leuit. 5.

Hæc verba sunt legis: Anima si præuaricans cæremonias, per errorem in his quæ Domino sunt sanctificata peccauerit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, iuxta pondus sanctuarij, ipsumq; quod intulit damni restituet, & quintam partem ponet supra, tradens sacerdoti, qui rogabit pro eo offerens arietem, & dimittetur ei.

Anima quæ peccauerit per ignoratiam, feceritque vnum de his quæ lege Domini prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem suam, offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, iuxta mensuram æstimationemque peccati, qui orabit pro eo, quia insciens fecerit, & dimittetur ei, quia per errorem deliquit Domino.

Leuit. 6.

Loquutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Anima quæ peccauerit, & contempto Domino negauerit proximo suo depositum, quod fidei eius creditum fuerat, vel is aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, siue rem perditam inuenerit, & inficiens insuper peierauerit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines

nes, conuicta delicti reddat omnia quæ per fraudem voluit obtinere integra, & quintam insuper partem Domino, cui damnum intulerat: Pro peccato autem suo offerat arietem immaculatû de grege, & dabit eum sacerdoti iuxta æstimationem mensuramque delicti, qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur ei pro singulis quæ faciendo peccauerit.

Paulo pòst. Ista est lex hostiæ pro peccato, in loco vbi offertur holocaustum immolabitur coram Domino, quia sanctum sanctorum est: sacerdos qui offeret comedet eum in loco sancto in atrio tabernaculi: quicquid tetigerit carnes eius sanctificabitur: Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus eius, quia sanctum sanctorum est.

Hæc illis in figura contingebat, quæ nos in veritate consequimur: atque erant instructioni, quo modo si peccato contaminati fuerimus, remissionem assequamur: vt non sola cordis contritione, fideq; mundemur, sed post peccati confessionē dāno præstato, pro culpa sacrificiū adhibeatur. Nā arietis loco nobis est corpus Domini:

sanctū sanctorū pro peccatis nostris semel oblatū, cuius qui carnem tetigerit, sanctificetur, cuiusq; virtus perpetua ac continua est, & quia rursus offerri nō potest, in id quod semel obtulit Christus, eius beneficio ad legati sui preces, munus nostrum immutatur. Pro priuato peccato oblatum sacrificium eodē die, quo facta fuerat oblatio, in loco sancto māducabatur, & quia integer aries ab uno sacrificulo comedi non poterat, alij sacerdotalis generis ad conuiuium inuitabantur: nec ad conuiuium admitti poterat is, cuius erat munus: Hęc sacrificij species, cum ea conferri potest Missa, quam falso nomine priuatam vocant aduersarij: In Missa autem manducatione alij sacerdotalis generis non accersuntur, quia ab uno sacrificulo hostia potest uno die integra comedi.

Aliorum sacrificiorum ut pacificorum que in hoc nostrum translata sunt ratio non mihi esse videtur presentis occasionis: qui de his volet cognoscere, legat Philonem de victimis, intelligat solum hoc nostrum, omnium sacrificiorum cuiusq; generis locum obtinere, & à nobis eorum loco adhiberi posse ac debere.

DE CALVINIANÆ VERITA-
TIS CVM SVO SACRAMENTO
coniunctione, & de sacra-
mento ipso.



*Q*uicquid mihi doctus quidam Cal-
 uinista, non sine maxima Cal-
 uini iniuria, à me huic imponi
 panem nudum in cœna mandu-
 cari, cui tamen pani veritatē cō-
 iunctā esse omnibus locis Calvinus prædicet, eāq;
 quam figurat sacramentum veritatem, impleri
 panis manducatione: præterea panem cōmunem
 dici non debere, qui vsu à reliquis panibus dif-
 ferat. Sed magistri sui sententiā parum perspectā
 habuisse visus est hæc obiiciens: Hoc examina-
 bimus. Primum imponi à me non potest, quòd
 Calvinus sua sponte doceat, nullā esse pani vir-
 tutem, aut corporis diuini præsentia, ne in ado-
 rationem panis, animum proclinent communi-
 cantes. De pane puro non minus perspicua eius
 esse debet sententia, qui omnem consecrationis
 rationem quasi incantamenta magica reiiciat:
 negetq; in panis mutationem, aut sanctificatio-
 nem, adhibitā à Domino fuisse benedictionem,
 & gratiarum actionem, sed ideo dici sanctum;

quòd in alium usum insumatur, quàm cōmū-
 nis, id est, ut spiritualement animæ nostræ cibum
 significet. Hanc esse Caluini doctrinam, nemo
 Calvinista doctus inficiabitur. Nunc ergo mi-
 hi superest demonstrandum, nec veritatem panis
 coniunctam esse, nec impleri quod figuret panis
 huius mādicatione. Hoc erit explicatu facilius
 si Calvinus doceat, quid sit veritas. Hanc ego
 Christum esse contēdo, hoc authore dicente, Ego
 sum via, veritas & vita: Christus ergo si panis
 usu solo à communibus dissimili coniunctus est,
 quero quomodo fiat hæc coniunctio, per accidens
 an per essentiam? Si per essentiam, eucharistia nō
 erit panis, sed corpus Domini, sub panis specie:
 si per accidens, armis instructus Calumnianis
 querā, qua virtute fiet hoc miraculū, ut è cælis,
 fide sola Caluini interiecta, in panem Christus
 illabatur, ut se panis nulla virtute pedito im-
 misceat ac coniungat? cur ne Westphalo Calui- u
 nus non assentiat, Christum impanari? Quòd si
 Christum cælis nō emigrare dicat Calvinus, quo
 modo cum pane, tāta loci intercapedine, Christū
 verè cōiungi profitetur? Hoc mihi est quā trans-
 substantiationis miraculū multo mirabilius. Si,
 ne huc Calvinus incidat, neget Christū verita-
 tē esse panis coniunctā, sed consietas à se promif-
 siones

siones veritatem esse putet: rursus coniunctionis modum & rationem sciscitabor. Præterea ostendam tum falso panem vocari corpus Domini per metonymiã: is enim erit promissiones, quas manducando Calvinus assequitur, ut se fefellerint Evangelistæ dicentes, Hoc est corpus meum: debuerunt enim dicere, hæ sunt fœderis mei promissiones: Nam secundum Calvinum, quæ veritas pani coniuncta est, huius figura est ipse panis, nomēq; obtinet per metonymiam, ipsaq; impletur veritas panis manducatione. Caluini verba subscribemus: Impletur (inquit) quod à sacramento figuratur, quū fide panem manducamus: tum enim sumus meriti passionis Christi, ex eius pollicitatione, participes. Nō ergo Calvine pane figuratur corpus, sed nos esse meriti participes, panis figura est, ex quo perspicuū est, pani, participationis meriti nomen, non ipsius corporis per metonymiã tribui oportere. Attamē si ita habet, ab anima tua nō māducaretur caro Christi, vel spiritualiter, manducata veritate: sed quæ ex carne sunt promissiones manducarentur: Hæq; verè essent cibus & potus, non ipsa caro.

Respondit tandem Calvinista, corpus Christi pani non esse coniunctū: sed huius māducationi,

quia simul anima fit Christi particeps, ubi corpus panem Christo vacuū māducauerit: ideoq̄ manducationi coniunctū dici: sed hæc dicens nō sentit se panis sui negare sacramentū: & manducationi tribui debere, quod pani attribuerat, statuens veritatem manducationis esse corporis participationem non corpus, quis autem hanc verborum feret illusionē, ut panis manducatio sacramentum ac figura participationis aut corporis, cuius est participatio, esse dicatur? quorsum hæc verba, Hoc est corpus meum? Panis manducatio corpus esse potius debuisset.

Hætenus (inquit) panis figura est corporis, quod ab ipsius esu doceamur, quam vim habet panis nutriēdis corporibus, eandem habere corpus Domini ad alendas spiritualiter animas: alioqui scimus panē corporis figurā esse non posse: Sed Caluine, eatenus carnes quæq̄, pisces, ac legumina esse corpus Domini cōfiteri debeo, nec opus est sacramento ac benedictione, ut per metonymiam euadant in corpus Domini: nam natura eorum est, ut nutriant corpus, sicut animā tuam nutriri credis. Ab hac tua contemplatione me abducit verbum Domini, nō solum enim dixit: Hoc est corpus meum: sed, quod pro vobis datur:

datur: ut rectè figurari non potuerit corpus quòd
 hæc simul adiecta qualitas, in figura cõprehensa
 sit. At panis tui natura hanc vim non habet,
 ut Christi passionem tibi figuret: natura enim pa-
 nis est impatibilis, quæ agni naturam patibilem
 mortemq; figurare nequeat: Hoc cum ita ha-
 beat, necessariò à figura cogitatiõne debet animus
 noster abstinere, & ad veritatis fidem traduci.
 Si dixisses, quam vim habet panis nutriendis
 corporibus, hanc habet Christi mors, ad homines
 redimendos sub peccato venundatos, ferri posset
 tua speculatio: sed hoc ad tuam metonymiam
 nihil attinet, ab hac enim prorsus alienum est,
 atque indignum Caluini ingenio.

Nunc ad sacramenti tui complementũ trã-
 sibimus: Impletur (inquis) sacramentum, quum
 fide panem manducamus, quia promissiones as-
 sequimur. Videndum ergo est, quid sit figura im-
 plementum. Mea sententia est, ut figura imple-
 tio non aliò respiciat, quàm ut e figura fiat
 veritas, tumq; veritatis præsentia, figuram ex-
 tinguat: Verbi gratia, cum panis mēsa sacra ap-
 ponitur, veterum iudicio antitypon est, nõ figu-
 ra: quum ergo expletur antitypon consecratione,
 ex exemplari fit diuinum corpus: Sic si panis se-
 cundum Calvinum Christi corporis figura sit,

Et hac impleatur, è pane sit corpus, figuræque esse desinit.

Hæc audiens Calvinista respondit, huc non pertinere figuræ cõplementũ, ut è figura fiat corpus, sed quia fide panẽ māducando simus ex divina pollicitatione meriti passionis participes: impleri dicitur quod figurat sacramẽtũ. Ita habeat, fieri igitur meriti participẽ veritas est quæ pane figuratur. Hæc autẽ si impleatur, è pane fiet meriti participatio, panisque esse desinet, sed quũ ita fuerit, quũquam panis non sit figuræ corporis, sed participationis, panis est participatio per Calvinianam metonymiam, non corpus, atque perperã locuti sunt Euãgelista dicẽtes, Hoc est corpus meum, debebant enim potius dicere, Hoc est, corporis mei participatio.

Quòd si Calvinus nolit ampliùs, suam veritatem à pane figuratam, ad meriti participationem contrahere, sed hanc ipse referat ad edentis animæ utilitatem, quatenus panis spiritualem animæ cibum referat, mirum est unum terminum in disiunctis, activè simul & passivè figurare, ut tam Christum nutrientem panis, quam animam nutritã figuraverit, et si dictũ est, Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Præterea imperfecta est Calvini similitudo dicentis, eam

vim habere Christū nutriēdis animabus, quam habeat panis ad corpora nutrienda: nam panis, in corporis substantiam māducatus cōuertitur. Christus verò incorruptibilis, ac inconvertibilis, in anima substantiam conuerti non potest: sed animam potius in carnem conuerteret, eamque membrum corporis faceret: nam corpora nostra carne Christi nutrita, in membrū eius euadunt. Has ob res, illa Caluini commentationes, ceu fatua deliramenta à me reiecta sunt.

Vt propositum absoluamus, ad sacramenti Caluiniiani explicationem transibimus: Hactenus intelligere non potui, quid illi sacramenti nomine intelligant: Petrus Martyr panis naturam & substantiam, seorsum à specie, sacramentum esse docet. Caluinus contra cœnam sacramentum esse non panem, omnibus locis ingerit: quāuis ab ecclesia incunabulis sacramentū corporis dicta sit eucharistia, constans panis specie & Christi corpore, duabus rebus consistente, terrena & cœlesti. ut si una earū à sacramento subducta sit, nō possit sacramētū subsistere: Preterea nullum esse natura sacramentū, sed omnia verbo Dei confici, ab ecclesia traditum est.

Videamus ergo an natura panis inuisibilis, citra speciem, sacramentum esse possit. August.

cuius autoritate Calvinista nos oppugnant: autor est eucharistiam duobus constare & confici, specie panis visibili, & carne & sanguine Iesu Christi inuisibili: si conficitur, nō habet à natura ut sit sacramentū: si constet specie, hac species à natura inuisibili seclusa destruet sacramentum. Sed si Martyri donemus ut panis natura inuisibilis, sit sacramentū, cuius rei sacramētum esse audiemus? sui ne sibi panis erit sacramentū, an alterius à se rei sacramentū erit? Christi, inquit, alterius à se rei sacramētum est: quia significat facultatē nutriendi talē esse corpori diuino, qualem habeat panis: hoc excepto, q̄ corpus Christi animas nutrit spiritualiter per fidem: panis autem corpora nutrit eorū etiā, qui fide careāt. Ergo Martyr significatione tenus tibi panis est sacramentū, non natura, quòd si eā opinione deposueris, sacramentum esse desinet, atq; in opinione tua facultas est sacramenti.

Præterea tuus August. ni falleris, delirabat dicens, sacramentum eucharistia constare specie visibili & carne inuisibili, quia tuo iudicio, caro Christi inuisibilis, extra sacramentum est, & ab ipso aliena: quod autē abest, atque diuersum est à pane, quomodo eo ipso cōstabit ipse panis? si eo cōstat, eo perficitur, ut nō possit aliter subsistere.

Sed

Sed quis tibi credet naturā panis, quæ tuo iudicio est inuisibilis & incomposita, in sacramentum trāsire, quum esse non possit sacramentum, nisi sit visibile & compositum.

Denique quis tibi credet naturā panis à reliquis panibus vsu solo distantem, esse nobis carnis diuinæ figuram, nisi hæc caro, à reliquis, vsu item, nō natura diuinitatis differre ostendatur, ut Ebioneis gratam operam nauemus.

Quia tecum hac in re non possum consentire, ad Calvinum me recipiam, ut intelligam, an cœna sacramentū sit: omnibus fere locis sacramentum inquit cœna Domini. Hæc mihi noua est doctrina, nouis enunciata verbis: Inauditumq; huc vsque est cœnam sacramentum appellari: sed ut assequamur an ita nuncupari possit, dispiciendum est, quid sit cœna, demum cuius rei sacramentum esset, nā (ut diximus) sui sibi sacramentum esse non poterit: sed si hæc propriam significationem retineat, conuiuium est, aut manducatio, non hostia, cuius hostiæ cōuiuium cœnā esse docuit ecclesia: Cur ergo manducatio quæ actu constat, quæue motus est manducantis non substantia manducata, sacramentum sit, animo nō cōprehendo: quòd si manducationē sumpserit Calvinus per suā metonymiam, pro re cuius est

manducatio, huc incidet, ut panem sacramentū esse profiteatur, quod Martyri negauimus.

Sed nullum est sacramentum quin sub aliena specie diuini contegat aliquid: eucharistia nostra huius rei certissimum nobis est testimoniū: Hac enim est diuina substantia sub panis specie, & ideo dicitur sacramentum, quod adhibita consecratione fiat transsubstantiationis miraculum: sed in panis Caluiniani manducatione, quid reconditum est sacramenti? Septem sacramenta nobis tradidit ecclesia, quorum sex actione definita sunt, unūq; agitur in eis, aliud intelligitur: ut aqua pura lauatur corpus, spiritu abluatur anima. At eucharistia, corporis sacramentū est, nō actionis, & quod agitur, hoc creditur: fit enim verbis consecratio, ac panis mutatio, hoc creditur: sed unum videtur, aliud esse creditur, panis videtur effigies, nō tamen panis est, sed diuinum corpus. In baptismo verò videtur aqua, aqua esse creditur, & est: videtur lauatio, est, & creditur. Hac ex re fallitur Calvinus docens ab impio eucharistiā, id est, sacramentū māducari, & non re siue substantiā eucharistiæ: alioqui species sine subiecto manducaretur: quāuis aqua tingi possit impius & nō re sacramenti, id est, spiritu: nam et si inaequali sorte manducatur ab impio, id ta-

id tamen re ipsa māducat impius, quod fidelis.

At, inquit, quum à tuo corpore manducatur eucharistia, alitur & anima: Unum ergo agitur, aliud creditur, uti de baptismo docuisti: sed à sacramenti, effectione ad gratiæ susceptionem transferimur, una actione fit baptismi sacramentum, simul & gratia spiritualis tribuitur: ea autem actione qua corporis efficitur sacramentum, communionis gratia non conferitur: nam consecratione fit transsubstantiationis miraculum: manducatione corporis accipitur communionis gratia, ut sine manducatione sacramentum perfectum sit, quamuis sine ablutione existere nequeat baptismi sacramentum. Præterea sacramentum eucharistiæ (ut diximus) corporeū est, corpus & animā nutriens: baptismus autē, spirituale, id est, actionis est sacramentum, ut solam spiritus gratiam afferat: corporis verò manducatione, non solus suscipitur spiritus, sed corpus ipsum, eaque que ad corpus attinet. Ex quibus rebus cōperi doctrinam Calvinianam, meras esse nugas, & personata sophismata, quibus nobis illudat: eūque quum novam sacramenti rationem nobis ingerit, sacramenti religionem penitus abolere.

F I N I S.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint text at the bottom of the page, possibly a signature or date.